

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

25. Quandonam urgeat præceptum charitatis?

S. Ligorio arridet sententia eorum, qui actum charitatis semel in mense requirunt. Sed hujus opinionis *nullum est solidum fundamentum*.—I, 218.

Magis mihi arridet sententia eorum, qui actum requirunt semel in mense; *dum difficiliter observare poterit legem divinam*, qui frequenter suum erga Deum amore actibus positivis non exercet. Attamen opus non est ut hi actus reflexe et explicite fiant.—*Homo apost.*, tract. IV, 13.

26. An debeas aliqua signa dilectionis offensori veniam non petenti?

Quidam affirmant cum S. Ligorio; alii vero negant cum S. Antonino.—I, 225, quær. 5.

(Ubinam hoc dicat S. A., nemo sane reperiet. Docet tantum S. D. *cum communi sententia* deberi inimicis signa communia benevolentiae.)

27. An præcepta positiva sint quandoque omittenda propter scandalum pusillorum?

Controvertitur. Prima sententia probabilis affirmat... Negant tamen alii *non minus probabiliter*.—I, 236, quær. 1.

Prima sententia probabilis *negat*... Affirmat vero secunda sententia *probabilior*.—II, 51; *Homo apost.*, tract. IV, 28.

28. An in scandalo detur non solum peccatum contra charitatem, sed etiam contra virtutem ad quam violandam proximus inducitur?

Affirmative quoad scandalum directum. *Melius tamen alii negant*. Nam secus, qui exemplo suo movet alium ad furandum, teneretur ad restitutionem; quod communissime doctores negant.—I, 236, quær. 3.

Tertia sententia, *cui subscribo*, tenet, quod qui directe *vel indirecte* inducit proximum ad peccatum dupliciter peccat, scilicet tam *contra charitatem* quam *contra virtutem* ab quam lædendam proximum inducit... Qui tamen suo exemplo induceret alium ad furandum, licet peccet contra justitiam duplici peccato, non tenetur tamen ad restitutionem...: quia *exemplum illud non est causa directe influxiva*, sed tantum occasio, quæ non præstat ad furandum positivum influxum, qui requiritur ad obligationem restitutionis.—II, 45.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

29. An possit famulus ratione famulatus sternere equum domini ad peccandum profecturi?

Non videtur illicitum...; quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici.—I, 251, quær. 3.

Probabilius non sufficit ad id *sola ratio famulatus*, etiamsi sine famuli ope herus adiret; saltem requiritur metus gravis damni.—II, 64.

30. An liceat famulo dona meretrici deferre?

Negative, saltem sine causa valde gravi... Imo hoc intrinsece malum reputat S. Lig... Sed *probabilius* contradicit *Viva cum aliis*.—I, 251, quær. 4.

Verius P. Concina putat hoc esse intrinsece malum, quia *revera* munera per se turpem amorem fovent.—II, 65.

31. An liceat famulo litteras amatorias concubinæ domini sui deferre?

Neg., *nisi adsit ratio valde gravis*. Imo juxta S. Ligorium nunquam licet, etiam posita gravissima causa; quia hoc, ait, intrinsece malum est. *Oppositum tamen docet Vogl. cum aliis*. Ceterum famulus non tenetur inquirere quid in litteris contineatur.—I, 152, quær. 5.

Quidquid alii dicant, puto cum Salmant., etc., hæc nunquam licere; quia formaliter concurrunt ad peccatum heri, fovendo turpem ejus amorem. Et hoc censeo dicendum cum Sanch... *etiam in dubio* an litteræ contineant amatoria; quia cum constet de turpi amore, moraliter creditur turpia continere.—II, 67.

Tract. de præceptis Decalogi.

32. An licitus sit usus virgæ divinatoriæ?

Non videtur certo damnandus usus virgæ ad detegendas aquas vel metalla, si virga super hæc *in omni casu æque moveatur*, sive quærantur, sive non quærantur; modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quæ forte adesse potest, excludaturque omnis animus superstitiosus. Ita *communius recentiores contra S. Ligor.*—I, 270, quær. 3.

Usum hujus virgæ aliqui doctores medici et etiam theologi conati sunt naturalem probare et innocentem, sed *merito* eum reprobant Cont. Tour.

(Ac dein S. Alphonsus rationes affert, quarum præcipua est, quod *virga movetur juxta mentem ferentis*).—III, 8.

33. An tentatio Dei interpretativa seu implicita admittat parvitatem materiæ?

Certum est tentationem Dei formalem expressam semper esse peccatum mortale contra religionem. Si autem sit implicita solum, sæpe ob

Dicunt (plures doctores) quod si quis *in re levi* tentaret Deum..., hic tantum venialiter peccaret. Sed *probabilius* Sanch., Suar., Salmant., eum

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

ignorantiam, inadvertentiam, aut *ma-
teriae parvitatem*, venialis esse po-
test.—I, 283.

34. An sit sacrilegium violatio personæ voto simplici castitatis ligatæ extra religionem?

Controvertitur. Prima sententia af-
firmat... Secunda, non minus probabi-
lis, negat.—I, 286, quær. 1.

damnat de mortali, nisi excusaretur
ratione ignorantiae vel indeliberatio-
nis.—III, 30.

Qui violat votum castitatis, scili-
cet, simplex extra religionem, *probabi-
lius* committit sacrilegium.—III, 47.

35. An peccata luxuriæ externa et gravia (præter consummata) in ec-
clesia commissa sint sacrilegia?

Controvertitur. Probabilius affirmant
Sanctus Ligorius, Collet, etc. Negant
autem *non improbabilius* Sanch., etc.—
I, 286, quær. 2.

Tres adsunt sententiæ... Secunda
damnat ut sacrilegia actus externos
graviter turpes... Puto secundam
sententiam *absolute probabilio-
rem*.—III, 461.

36. An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?

Quod res quæ casu aut per acci-
dens in ecclesia reperiuntur, ut cru-
mena, horologium, etc., controverti-
tur. *Probabilius* negandum.—I, 286,
quær. 3.

Probabile est furtum cujuslibet rei
profanæ, quæ ad ecclesiam non perti-
net, non esse sacrilegium; sed nobis
probabilius videtur esse *quidem* (sacri-
legium) — *Homo apost.*, tract. IV, 39
(III, 39).

37. An sit simonia dare temporale ad sibi conciliandum superiorem, in-
tuitu beneficii obtinendi?

Neg., si intentio primaria sit dandi
gratis temporale; quia tunc compara-
tio immediata fit rei temporalis cum
temporali, nempe, benevolentia supe-
rioris. Secus autem, si intendatur res
spiritualis ut debita retributio, non
vero *ut effectus gratitudinis* animi.
S. Ligorius.—I, 290, quær. 2.

(Negat et ipse S. Alphonsus, at
mox sublit): Ceterum *recte* advertunt
Roncag... quod, ubi alius deest titu-
lus..., quando datur aliquid *solo intui-
tu obtinendæ rei spiritualis*, vel contra,
præsumenda tunc sit intentio saltem
virtualiter simoniaca... Et maxime
nequit excusari a simonia mentali...
is qui Episcopo gratis inserviret *animo
eum obligandi ex gratitudine*, etsi non
ex justitia, ad retribuendum benefi-
cium.—III, 51.

38. An liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri in monaste-
rium opulentum?

Controvertitur, si agatur de monas-
terio opulento. Negat S. Ligorius,
nisi recipiendus sit senex vel infir-

Prima sententia affirmat. Secunda
vero *negat*, quam sequuntur Cabass...
et alii, quibus clare consentit D. Tho-

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

mus. *Affirmant tamen alii non pauci*,
modo non exigatur pecunia pro ipso
ingressu, sed recipiatur aut postule-
tur tantum ratione sustentationis seu
dotis.—I, 291, quær. 5.

mas... Ratio potissima et *mihi valde
urgens est*, quia postulans, etsi ante
receptionem nullum jus habeat ad
bona monasterii, postquam tamen
receptus est, habet quidem jus ad illa
pro sua sustentatione.—III, 92.

39. Cui restituendum sit pretium simoniace acceptum, sequuta utrinque
traditione?

Si utrinque sequuta sit traditio,
distinguenda a reliquis est causa *bene-
ficialis*. In hac enim, simoniacum
pretium restituendum est *ecclesie* in
qua situm beneficium est; vel, si su-
perior velit, potest pauperibus distri-
bui.—Quoad pretium vero *pro alia re
spirituali* acceptum, cum nihil jure
clare decretum reperiatur, superest
ut ei restituatur qui illud persolvit.—
I, 265, quær. 3.

Tres sunt sententiæ probabiles. Pri-
ma tenet, ante sententiam restituen-
dum esse ei qui dedit... Secunda te-
net, esse restituendum ecclesie in
qua est beneficium... Tertia dicit, ex
consuetudine posse restitui etiam
pauperibus, ut admittit S. Thomas...
Quare recipiens pretium, juxta has
sententias *satis omnes probabiles*, ut
recte dicunt Salmant., poterit, prout
voluerit, illud restituere *vel danti, vel
ecclesie, vel pauperibus*, et etiam sibi
ipsi, si egens sit.—III, 115.

40. An blasphemia sit dicere: *Perdat te mors, vel sanguis Dei, vel Sacra-
menta*?

Blasphemia est juxta quosdam...
Verius tamen videntur verba mere
imprecatoria.—I, 300

Blasphemat... qui injuriose usurpat
membrum Christi, v. gr.: *Perdat te
Dei sanguis, vulnera, mors, caput, pas-
sio, Sacramenta...* (sic Bussemb., quem
S. Alphonsus tacite approbat).—
III, 126.

41. An peccent qui, passione abrepti, verba blasphemia proferunt?

Non peccant graviter qui, ira vel
aliqua passione abrepti, verba blas-
phemiæ proferunt, *non advertentes* ad
eorum significationem.—I, 300-3.

Puto... *semper adesse* in blasphe-
mando *aliquam advertentiam*, saltem
confusam, de malitia illius prolatio-
nis; ira enim aut habitus ordinarie
non ita intellectum obtenebrat...—
III, 127.

42. An sit blasphemia maledicere toti mundo?

Affirmat S. Ligorius; quia sicut
jurare per creaturas, in quibus magis
relucent attributa divina, est verum
juramentum, ita ipsis maledicere est

Auctor citatus *Istruzione*, etc., ni-
mis obiter asserit hanc maledictio-
nem non esse per se gravem blasphemiam.
Sed oppositum verius omnino

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

vera blasphemia, quia Deus in ipsis indirecte contemnitur. *Reipsa tamen vix talis sensus animo hæc proferentis occurrere solet.*—I, 304, quær. 4.

censeo; et ducor argumento... (quod P. Gury bene exponit). *Ordinarie loquendo, censeo rusticos, qui mundo maledicunt, ut plurimum graviter peccare, dum ipsi de tali maledictione cum magno horrore se accusant.*—III, 129.

43. Quale peccatum sit juramentum promissorium fictum?

Non valet juramentum promissorium fictum, seu mere externum, ob voluntatis seu intentionis defectum. Peccat vero sic jurans; sed *probabilius venialiter tantum, per se loquendo*, quia non est nisi *mendacium cum vana nominis Dei usurpatione*. S. Ligorius.—I, 308.

Si quis jurat sine animo jurandi, et sine animo standi promissis, *procul dubio peccat graviter*. Si contra jurat *cum animo standi promissis*, sed sine animo jurandi, probabile est quod tantum *venialiter peccat*, quia tunc nulla alia adest culpa quam in vanum Deum nominare.—*Homo apost.*, tract. V, 17 (III, 172).

44. An obliget in conscientia juramentum promissorium metu extortum?

Controvertitur. Prima sententia communior affirmat... Secunda sententia, quæ *sat probabilis* videtur, negat.—I, 314, quær. 3.

Prima sententia negat obligare... Secunda *longe probabilior*... dicit, tale juramentum obligare.—Notandum, quod metum passus... potest illius (juramenti) relaxationem petere ab Episcopo.—III, 174.

45. An voto teneatur qui dubitat utrum sufficientem habuerit deliberationem?

Resp. Negative..., quando *positive et graviter* dubitet de sufficienti deliberatione.—I, 322, quær. 4.

In quocumque dubio an defuerit plena deliberatio, valet votum.—III, 196.

46. An notabilis dilatio in exequendo voto, cui nullum determinatum fuit tempus, sit culpa mortalis?

Si tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti executionem præfixum sit, dilatio notabilis in re gravi peccatum grave erit juxta S. Ligorium. *Tamburinus tamen cum aliis nullam dilationem, quantumvis longam, mortalem per se, dempto nimirum, aut oblivionis, aut impo-*

Certum est quod, si votum (pro tempore indeterminato) est *in perpetuum obsequium Dei...*, peccat lethaliter qui diu differt, si adsit opportunitas implendi et non excuset rationalis causa... Si autem votum sit *in obsequium temporale...*, censet probabiliter... Tamb. quamcumque dilationem

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

tentiæ forte superventuræ periculo, esse existimat.—I, 237, quær. 4.

non pertingere ad mortale... Sed *verius dicendum* peccare mortaliter qui sine justa causa notabiliter votum differt implere.—III, 221.

47. An superior possit dispensare in votis ad utilitatem proximi factis?

Affirmative, si votum non fuerit acceptatum a proximo. *Secus, negative*; quia tunc intercedit obligatio contractus. Sanctus Ligorius.—I, 333, quær. 2.

Si votum fuerit emissum in tertii utilitatem, et iste tertius est determinatus..., non potest dispensari, quoties... acceptatum est. Sed si votum emissum est pro *paupere indeterminato*, potest dispensari, *licet ab aliquo paupere jam acceptatum fuisset.*—*Homo apost.*, tract. V, 41 (III, 225).

48. An qui die festo post consecrationem ultimæ Missæ advenit, reliqua audire teneatur?

Neg. probabiliter; quia jam deest essentia sacrificii, et cessat proinde obligatio illi assistendi, cum præceptum per hoc impleri non possit. S. Ligorius.—I, 343, quær. 3.

Dicimus oppositum (sent. affirm.) *tenendum*... Ratio, quia cum sit satis etiam probabile quod essentia sacrificii in sumptione consistat, dicimus illum *bene obligari*... Certum sententia hæc *est valde probabilis et in praxi tenenda ex alia ratione*, scilicet, quia audiri potest pars notabilis cæremoniæ ab Ecclesia præceptæ.—*Homo apostolicus*, tract. VI, 33 (III, 310, quær. 2).

49. An satisfaciatur præcepto qui tempore Missæ peccata confitetur?

Negant plures. Verum *affirmativæ* sententiæ sua non deest *probabilitas*... Generatim non videntur inquietandi hac de re fideles, neque scrupulis injiciendus, quando Missæ aliquo modo attendant.—I, 346, quær. 2.

Hæc secunda (*affirmativa*) sententia non videtur omnino probabilitate destituta, et *olim probabilem ipsemet censui*; sed quia postmodum observavi eam a pluribus gravibus doctoribus rejici, *modo non audeo probabilem dicere.*—III, 314.

50. Quinam familiares uti possunt oratorio privato ad Missam audiendam?

Certum est satisfacere præcepto audiendæ Missæ in oratorio privato omnes qui in indulto comprehenduntur, nempe, dominum oratorii cum

Ut ergo familiares privilegio oratorii gaudeant, requiritur... 3.^o *ut actu sint necessarii*, non solum aliquando intra diem, sed *tempore quo Missa cele-*

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

suis et familiaribus, qui ejus servitio addicti sunt.—I, 348.

bratur. Ita recte P. a Brixia, idque patet ex verbis indulti.—III, 318, claus. 10.

51. An teneatur dominus uti privilegio oratorii privati, si ecclesiam adire non potest?

Affirmative juxta S. Alphonsum, si sacerdotem commode habere valeat... Alii tamen negant ex eo principio, quod nemo privilegio, uti teneatur.—I, 348.

Merito affirmant teneri dominum, si commode sacerdotem habere potest..., non quidem ex vi privilegii, sed ex vi præcepti, quod obligat ad Missam audiendam omnes qui illud sine gravi incommodo implere valent.—III, 319, dub. 3.

52. Quænam causæ a Missa audienda excusant?

Excusat a Missa audienda quævis causa mediocriter gravis, seu quæ involvit mediocriter quoddam incommodum vel damnum in bonis animæ, vel corporis proprii, vel proximi... Ita S. Ligorius.—I, 351.

Excusat ab audienda Missa quævis causa mediocriter gravis, scilicet, quæ involvit notabile aliquod incommodum vel damnum in bonis animæ, vel corporis proprii, vel proximi.—III, 324.

53. Quid sit stuprum?

Stuprum est violatio seu oppressio mulieris, ipsa invita. Ita communiter.—I, 425.

Stuprum est defloratio virginis, ipsa invita.—Hom. ap., tract. XI, 14.

54. An in peccato sodomie explicandum sit si quis fuerit agens vel patiens?

Probabilius per se non est declarandum quis fuerit agens aut patiens; quia species peccati eadem est... Circumstantia tamen pollutionis si adfuit, quod facilius in agente contingit omnino aperienda est.—I, 434.

Negant Salmant...; quia, dicunt, taliter coeuntes communiter ambo polluuntur. At verius explicandum est secundum Holzman, Tourn...; quia in agente multo facilius adest pollutio quam in patiente (ergo relatione ipsius periculi).—III, 468.

55. An committat diversa peccata qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit?

An specie differant detractiones in materiis specie diversis? Resp. Duplex datur sententia probabilis. Prima sententia affirmat. Secunda negat.—I, 449, quær. 2.

Negant Salmant... Sed probabilius censent plura peccata committere Cont. Tournely, Holzmann..., etc. Ratio, quia læduntur diversa jura ad famam vel honorem...—V, 48.

P. GURY.

S. ALPHONSUS.

Tract. de præceptis Ecclesiae.

56. An qui inculpabiliter duplicem in die jejunii refectionem sumpserit, teneatur a tertia abstinere?

Quidam affirmant. Ratio est, quia jejunium materialiter tantum, non formaliter læsit... Ita probabiliter Reuter, S. Ligor. Alii tamen probabiliter negant, quia cum essentia jejunii in unica comestione sita sit, post binam refectionem jejunium impossibile evadit.—I, 495.

Probabilius mihi videtur oppositum (sent. affirm.)...; quia, licet qui violat jejunium inadvertenter jam materialiter illud frangit, nihilominus videtur, advertendo postea ad obligationem, teneri ad illud observandum, ne solvat illud formaliter.—Homo apost., tract. XII, 20.

57. An hora refectionis pertineat ad essentiam jejunii, ita ut notabilis anticipatio sit grave peccatum?

Controvertitur. Duplex est sententia probabilis. Affirmant S. Ligorius et alii multi. Negant vero Layman, Ebel... aliique non pauci.—I, 505.

Affirmat prima sententia... Alii vero negant... Quapropter licet quondam secundæ sententiæ (non esse peccatum grave) adhæsi, re tamen melius animadversa, nunc illam minime probabilem censeo.—Homo apost., tract. XII, 21; prop. reform. secund. elench., num. 13.

58. An et quomodo excusentur a jejunio magistri scientiarum?

Magistri scientiarum excusantur, licet per unam tantum horam singulis diebus doceant, si studio et labore indigeant ad lectiones parandas; non autem ii, qui e scripto tantum tradunt lectiones jam prius ordinatas ac sæpius repetitas.—I, 512.

Excusantur lectores scientiarum, qui magno studio et labore indigent; non vero qui dictant lectiones jam prius ordinatas et sæpius repetitas... Palaus autem et alii apud Croix dicunt magistros grammaticæ, qui per quatuor horas docent, non teneri jejunare plus quam tribus diebus in hebdomada.—III, 1049-5.

Tract. de justitia et jure.

59. An mala fides antecessoris noceat hæredi mediato quoad præscriptionem?

Neg. probabilius, quia hic non censetur facere unicam personam cum antecessore. Ita communiter (ergo præscribit).—I, 590, quær. 4.

Hæres possessoris malæ fidei probabilius non præscribit... Excipiunt Les., Pal..., si præscribens sit hæres hæredis; sed hæc probabilius etiam negat Croix cum Lugo.—III, 512.